

Band VI., Nr. 1649, Seite 48-49

Papst Urban IV. verbietet eine Reihe von Feindseligkeiten gegen die Brüder des Hl. Grabes zu Jerusalem, trifft verschiedene Anordnungen zu ihren Gunsten und verheißt denjenigen, welche sie unterstützen, Ablass.

Viterbo, 1262. Februar 24.

Vrbanus episcopus, servus servorum dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, prepositis, archidyaconis, decanis ceterisque ecclesiarum prelati, ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectis filiis fratribus domus sancti Sepulchri Jerosolimitani fuerit a predecessoribus nostris indultum et a nobis postmodum confirmatum, ut recipiantur in ecclesiis ad elemosinas colligendas, quidam vestrum ardore avaricie succensi confratrias suas confratriis illorum eadem die in ipsorum adventu preponunt et sic fratres ipsi confusi aut nichil exinde aut modicum quid prosecuntur. Quia igitur hoc indecens est et in contemptum dei et ecclesie Romane redundat, predecessorum nostrorum vestigiis inherentes universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus cum fratres ipsi aut eorum nuncii ad loca vestra pro elemosinis accesserint colligendis, ipsos benigne recipiatis et honeste tractetis eosdem, ipsos quoque in ecclesiis vestris ammonere populum et elemosinas libere querere permittatis, confratrias vestras, quas facere potestis cottidie, ipsorum confratriis nullatenus preponentes, ne occasione illarum elemosine pauperum Christi depereant et impediatur opera pietatis. Sane quoniam a predecessoribus nostris est statutum et innovatum a nobis, ut nemo excommunicet fratres ipsos vel eorum oratoria interdicat sine mandato sedis apostolice speciali, presencium vobis auctoritate precipimus, ut ipsos excommunicare aut ecclesias eorum interdicere nullatenus presumatis. De parrochianis autem vestris, qui domos eorum invadunt per violentiam aut infringunt aut indebitis molestiis opprimunt fratres ipsos et tam deposita quam res surripiunt eorundem, cum exinde querimoniam deposuerint coram nobis, tam districtam iusticiam eis faciatis et ita iura eorum defendere ac manutene-
re curetis, quod ipsi ad nos pro defectu iusticie sepe recurrere non cogantur, sed nos sollicitudinem vestram debeamus merito commendare vosque beneficiorum, que in illa sancta domo fiunt, participes^a existere valeatis. Preterea liberas et absolutas personas, que se domui eorum in sanitate vel infirmitate reddiderunt, libere et sine molestia recipi permittatis ab eis nec ipsos super

^aIn der Vorlage verschrieben: *particeps*.

II

hoc temptetis aliquatenus impedire. Illud autem non mediocriter movet nos nec modicum ecclesiastice derogat honestati, quod quidam vestrum contra institutionem sanctorum patrum in Turonensi concilio editam fratrum ipsorum corpora cum decedunt nolunt sine precio sepelire. Unde quia tam prava exaccio non est aliquatenus tolleranda, vobis in virtute obediencie precipimus, ut nullomodo a fratribus ipsis vel aliis pro sepultura quicquam exigere vel accipere, nisi spontanea decedentium liberalitas vel parentum devocio vobis contulerit, attemptetis. Sed absque omni precio sepeliatis corpora mortuorum et si quis hoc ulterius attemptaverit, taliter animadvertatis in eum, quod amplius similia non presumat. Ad hec presencium vobis auctoritate precipimus, ne ab eis contra tenorem privilegiorum apostolice sedis de nutrimentis animalium suorum sive de ipsis animalibus decimas exigere presumatis. Cum autem oratoria vel cimiteria, secundum quod eis est beneficio privilegiorum ecclesie Romane concessum, duxerint construenda, vos, fratres archiepiscopi et episcopi, pro se et familia sua tantum oratoria dedicare et cimiteria benedicere procuretis nec aliquis vestrum contra tenorem privilegiorum ipsorum hoc impedire audeat vel turbare. De cetero quoque fratres domus sancti Sepulchri Ierosolomitani in vestris episcopatibus constitutos, qui crucem et habitum deponentes per illecebras seculi et mundorum abruta vagantur, et illos eciam, qui prioribus suis inobedientes et rebelles existunt et ballivas detinent contra voluntates ipsorum, moneatis instanter et pro vestri officii debito compellatis, ut habitum depositum sumentes in obediencia prelatorum suorum devote ac humiliter perseverent et ballivas sive alia officia per violenciam nullo modo detinere presumant. Quicumque vero mandatorum nostrorum extiterint contemptores, excommunicationis eos sententia percellatis, quam faciatis usque ad satisfaccionem condignam inviolabiliter observari. Preterea quicumque de facultatibus sibi a deo collatis fratribus subvenerint antedictis et in tam sancta fraternitate statuerint se collegas eisque beneficia prestiterint annuatim, eis de beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi septimam partem iniuncte penitencie misericorditer relaxamus. Auctoritate quoque apostolica ob reverenciam venerabilis domus statuimus, ut eis, qui eorum fraternitatem assumpserint, si forsan ecclesie, ad quas pertinent, a divinis fuerint officiis interdicte ipsosque^b mori contigerit, sepultura eis ecclesiastica non negetur, nisi publice usuarii aut excommunicati vel nominatim fuerint interdicti. Hoc eciam addito, ut receptores fraternitatis et collectarum ipsorum salvo iure dominorum suorum sub beatorum Petri et Pauli apostolorum proteccione consistant. Addicimus insuper, ut si qui dictorum fratrum, qui ad easdem fraternitates vel collectas missi fuerint, in quamlibet civitatem, castellum vel vicum interdictum advenerint, in eorum iocundo adventu semel annuatim

^bIn der Vorlage verschrieben: *ipsasque*.

III

aperiantur ecclesie, excommunicatis et nominatim interdictis eiectis divina
ibidem officia celebrentur, salva in omnibus supradictis declaratione conci-
lii generalis.

 Datum Viterbii, VI. kalendas Marcii, pontificatus
nostri anno primo.

—

Nach einem von der Kurie zu Worms an 1445 Aug. 18 ausgestellten Transsumpt
eines älteren, von der Kurie zu Speier ausgefertigten Transsumptes vom 10. Februar
1287 auf Pergament.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 480 U 4

Weitere Angaben

Beschreibstoff:

Pergament

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Viterbo

Ortsindex:

Denkendorf Wohnplatz (319)
 Denkendorf, ES
 Viterbo, Latium, Italien